

Pius II. an Pasquale Malipiero, Dogen von Venedig. Er übersendet ihm die Exkommunikationsbulle gegen Hz. Sigismund und seine Anhänger und befiehlt ihm, sich danach zu richten und insbesondere das Verkehrsverbot zu beachten. Darüber hinaus teilt er dem Dogen mit, dass er die Administration des Bistums Brixen an sich gezogen habe. Der Doge solle die vom Papst entsandten Kommissare unterstützen, indem er insbesondere den venezianischen Untertanen in der Grafschaft Cadore und in der Stadt Belluno entsprechende Anweisungen erteile.

Kopie (gleichzeitig): BERNKASTEL-KUES, *StiB, Cod. Cus. 221 p. 132f.* (= *K*¹); BOZEN, *StA, Cod. 4 p. 57-59* (= *B*); (*J. Resch, 18. Jh.*): BOZEN, *StA, Lade 3 Nr. 9 N.*

Druck: Düx, *Der deutsche Kardinal II* 477f.

Regest: Lichnowsky, *Geschichte des Hauses Habsburg VII, CCCXIV Nr. 418; Jäger, Regesten I* 325 Nr. 320.

Em.: Jäger, *Streit II* 105.

Unser Text folgt der Abschrift K.

Pius etc. Dilecti filii etc. Ewangelica domini Sabaoth vinea, cuius nobis dispensante domino tradita est, cura iugi indiget putacione, ne ex crescentibus infecundis palmitibus utiles rami et uvas ferentes suffocati permittantur interire.²⁾ Hoc est enim vigilis et diligentis vinitoris officium. Ad hoc est apostolice presidencie sedes a domino collocata, ut assidue in ea pontifex constitutus virtutum palmites purget viciorum, sarmenta amputet et evellat. Quod quidem, quoniam fieri porteat, sacri canones a precessoribus nostris spiritu sancto dictante instituti nobis prescribunt et clarissime patefaciunt. Quorum nos regulis neccessario compulsi, dimissa personarum acceptione, nuper iusticia exigente contra Sigismundum tunc Austrie ducem et satellites ac complices eius omnes, qui furiosa temeritate impulsus dilectum filium nostrum Nicolaum tituli sancti Petri ad vincula sacrosancte Romane ecclesie cardinalem, episcopum Brixinensem, nephandissimo sacrilegio hostilibus persecucione, captivacione ac bonorum rapina violarunt, habito super omnibus prius, ut congruum fuit, legitimo processu et inquisitione oportuna ac plena informacione de notoria et scandalosissima eorum violencia et sacrilegio, ad declaracionis tandem sententiam neccessitati sumus devenire³⁾, quam tue nobilitati mittimus presentibus introclusam; eandem propterea undique principibus catholicis insinuantes, ut cum intellectum fuit, quomodo dictus Sigismundus et cum eo culpam promeriti a nobis habeantur. Ita ipsi quoque, quid agere et quid sequi debeant, non ignorent, et idem suis subditis undiquamque curent intimare. Nam quos tales habet universalis ecclesie gubernator, ut a catholicorum cetu sint divisi et tamquam corrupte corporis partes, que sanari nequent, amputati, a nemine ulla communione participare, ullo commercio debent commisceri. Nobilitas tua clarissime perspiciet ex ipsa introclusa, quid in hac causa oporteat fieri et ut cetera ita hoc efficiet prudentissime.

Ceterum, cum prefatus cardinalis ob ipsam hostilem persecucionem administracioni ecclesie sue, quod cum magno dolore ne dicamus pudore dicendum est, preesse non possit, nos ipsam ecclesiam Brixinensem ad nostras manus advocavimus spiritualia et temporalia per nostros commissarios administraturi absque novitate tamen aut gwerrarum mocione. Verum, si forte ipse Sigismundus solita vecordia nostris in opido et arce Bruneka et circa violenciam inferre moliretur, tuam nobilitatem affectuose hortamur, ut si tui subditi comitatus Cadubrii et civitatis Bellunensis per nostros fuerint requisiti, disponas, ut ad opem ferendam sint parati, ne nostri violenter opprimantur. Idque ex nunc ita velit ordinare et mandare nobilitas tua, ut illi pauperes gaudeant se nostre protectioni, in qua plurimum confidunt, fuisse subiectos. Hac de re, quale optamus et plene in domino confidimus, responsum tue nobilitatis expectamus.

Datum Senis anno incarnationis domini m^o cccc^o lx^o decimo sexto kal. septembris, pontificatus nostri anno secundo.

13 mittimus: *em. mittibus K.* 14 fuit: *fuerit B.* 16 undiquamque: *undiquaque B.* 18 participare: *participari B.* 19 efficiet: *efficietur B.* 25 affectuose: *em. affectuoso K.* 27 ita: *id B.*

¹⁾ *Über dem Text:* Duci Veneciarum (Pasquale Malipieri, Doge von Venedig 1457-1462).

²⁾ *Vgl. Jes. 5,1-7; Mt. 18,8.*

³⁾ *S.a* Nr. 6281.